Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8457
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



lix.

annua devotione recolentes
et corde tibi placeant et mente.
In diebus illis. Ico lib regum.
Venerunt due mulieres
meretrices ad regem salomonem;
steteruntque coram eo, quarum
una ait. Obsecro mi domine;
ego et mulier hec habitabamus
in domo una; et peperi apud
eam in cubiculo. Tertia uero
die postquam ego peperi peperit
et hec; et eramus simul,
nullusque alius in domo
nobiscum exceptis nobis du
abus. Mortuus est autem
filius mulieris huius nocte
dormiens quippe oppressit eum;
et consurgens intempesta
nocte sublato filio meo ancille
tue dormientis et collocauit
in sinu suo, suum autem filium
qui erat mortuus posuit in
sinu meo. Cumque surrexisse
mane ut dare lac filio
meo apparuit mortuus;
quem diligentius intuens
clara luce deprehendi non esse
filium meum quem genueram.
Rndit que altera mulier.
Non est ita; sed filius tuus
mortuus est, meus autem uiuit.
Econtrario illa dicebat.
Mentiris; filius quippe
meus uiuit; sed filius tuus
mortuus est. Atque in hunc
modum contendebant coram
rege. Tunc rex ait. Hec
dicit filius meus uiuit et
filius tuus mortuus est;
et ista rndit non; sed filius
tuus mortuus est et filius
meus uiuit. Dixit quoque rex.
Afferte mihi gladium. Cumque
attulissent gladium coram
rege ait. Diuidite inquit
infantem uiuum in duas partes;
et date dimidiam partem
uni, et dimidiam partem
alteri. Dixit autem mulier cuius e
rat filius uiuus ad regem;
commota sunt quippe uiscera
eius super filio suo. Obsecro
domine, date illi infantem
uiuum; et nolite interficere
eum. Econtrario illa dicebat.
Nec mihi nec tibi sit; sed di
uidat. Rndit rex et ait.